

CAPUT IV

DE VERBORUM INCREMENTO

533. [473]. Secunda persona singularis modi indicativi in verbis regularibus norma est, ad quam verborum incrementa diriguntur: cui si verbum sit aequale, nullum erit incrementum, ut *amat, amant*, quia dissyllaba sunt, sicut *amas* (quae norma et regula est incrementorum), nullum habent incrementum.

Sin verbum longius sit una syllaba, unum habet incrementum, ut *amamus, amatis*, quorum penultima incrementum est: nam ultima numquam dicitur incrementum. Si duabus syllabis norma superetur, duo erunt incrementa, ut *amabitis, amabimus*; si tribus, tria, ut *amaveritis, amaverimus*; si denique quatuor, totidem erunt incrementa, ut *audiebamini*: tunc vero prima syllaba quae incrementum est, vocatur incrementum primum, altera incrementum secundum, etc.

In verbis deponentibus fingenda est vox activa, ad quam verborum incrementa dirigantur.

Ultima syllaba, ut modo diximus, numquam est incrementum; prima vero est, si norma ipsa sit monosyllaba, ut *das, fles*: unde *damus, fleamus, dabam, flebam*, et caetera dissyllaba unum habent incrementum.

N. B. Oportebit repetere quae supra diximus (n. 507), vocalem nempe thematicam 1. ae, 2. ae et 4. ae inflexionis longam esse, nisi sequitur vocalis; qua una regula plura incrementa continentur.

§ I. DE a ET e INCREMENTO VERBORUM [474, 475]

534. A crescens produc: *do* incremento excipe primo.

A in omni verborum incremento producit, ut *stāmus, stāres, properāmus, docebāmus, legebāmus, audiebāmini*.

(Ovid. Met. 10. 33). *Serius aut citius sedem properāmus ad unam.*
(Virg. Aen. 2. 56). *Trojaque nunc stāres, Priamique arx alta maneres.*

EXCEPTIO. A primum dumtaxat incrementum verbi *do, das* corripitur, simul et in ejus compositis.

(Virg. Aen. 2. 145). *His lacrimis vitam dāmus et miserescimus ultro.*
(Ovid. Fast. 1. 362). *Jussi et ambitae circumdāre littora terrae.*

535. Plurale *e* longum, et prima incrementa secundae.

Rēreque vel *rēris*, cum *audiēris, amēre, legēris*.

Adde *ēbam*: dicit *stetērunt dedēruntque* poēta.

At plurale *ērimus* cum *ēritis* breviabis ubique.

536. 1.° *E* in omni verborum incremento plurali producit, ut *amēmus, amaverunt, docerēmus, legerēmur*.

(Ovid. Pont. 4. 3. 36). *Et subito casu quae valūere ruunt.*

2.° Longum est *e* in primo incremento secundae conjugationis, ut *monētur, docēbor, vidēret*.

(Virg. Ecl. 5. 78). *Semper honos nomenque tuum laudesque manēbunt.*

(Id. Ecl. 1. 74). *Impius haec tum culla novalia miles habebit?*

(Ovid. Fast. 1. 333). *Flēbat Aristaeus, quod apes cum stirpe necatas.*

3.° Longum est *e* in praeterito imperfecto subjunctivi vocis passivae, ut *legerēris* vel *legerere, amarētur, monerēris*.

(Ovid. Trist. 1. 8. 13). *Ut neque respiceres, neque solarēre jacentem,*

Dure, nec exequias prosequerere meas.

4.° Longum est *e* in futuro imperfecto passivo verborum tertiae et quartae conjugationis, ut *legēris* vel *legere, legētur, audiēris* vel *audire, audiētur*.

5.° Longum est *e* in praesenti subjunctivi vocis passivae primae conjugationis, ut *amēris* vel *amere, amētur*.

6.° Longum est *e* in praeterito imperfecto indicativi, ut *legebam, legebar, audiebam, audiebar*.

(Virg. Ecl. 1. 29). *Candidior postquam tondenti barba cadebat.*

(Ovid. Pont. 1. 1. 27). *Jamque quiescebant voces hominumque canumque, Lunaque nocturnos alta regēbat equos.*

7.° Poetae in praeterito perfecto indicativi litteram *e* ante *runt* syllabam pro suo jure interdum corripunt.

(Virg. Aen. 2. 774). *Obstupui, stetēruntque comae, et vox faucibus haesit.*

8.° Breve est *e* in omnibus personis temporum, quae *ero* et *erim* finiuntur, ac propterea etiam ubi est incrementum plurale: sic *amavero, monueris, legērit, amaverimus, audiveritis*, etc.

§ II. DE INCREMENTO *i, o, u* VERBORUM [476-479]

537. Tertia praeteritum cum quarta ducit in *ivi*.
Et quodvis quartae crementum *i* protrahe primum.
Simus, nolimus, junges nolito, velimus.
Ri conjunctivi possunt variare poëtae.

538. 1.° Penultima praeteriti in *ivi* longa est, ut *petīvi, audīvi*. (Cf. n. 225. 5.^a).

(Virg. Aen. 2. 804). *Cessi, et sublato montem genitore petīvi*.

2.° Longum est primum incrementum quartae conjugationis, ut *audīmus, audītis, audīrem, audīrer, audīri*, ob contractionem. (Cf. n. 507).

(Virg. Aen. 3. 83). *Jungimus hospitio dextras, sub tecta subīmus*.

3.° Longum *i* etiam habent *sīmus, sītis, velīmus, velītis*, cum compositionis *possīmus, etc.* Item *nolīto, nolīte*.

(Ovid. Met. 1. 415). *Et documenta damus, qua sīmus origine nati*.

(Id. Pont. 4. 5. 11). *Si quis ut in populo, qui sītis et unde requirat*.

4.° *Ri* syllabam modi conjunctivi, ut *amaverimus, amaveritis*, poëtae modo corripunt, modo producunt, prout versus postulat.

(Ovid. Met. 6. 357). *Accepisse simul; vitam dederītis in unda*.

(Id. Pont. 4. 5. 45). *Haec ubi dixeritis, servet sua dona, rogate*.

(Catull. 5. 10). *Dein, quum millia multa fecerīmus*. (Phaleucius est).

539. *O* produc. Longum *u* reddent tibi verba futuri.

O in verborum incrementis semper producitur, ut *facītōte, legītōte*.

(Ovid. Met. 9. 378). *Quumque loqui poterit, matrem facītōte salutet*.

U producitur in futuro in *urus*, ut *amatūrus, lectūrus*.

(Virg. Aen. 12. 55). *Flebat, et ardentem generum moritūra tenebat*.

CAPUT V

DE ULTIMIS SYLLABIS

§ I. *A, e* IN FINE [481-485]

540. *A* longum: praeter sextum sed corripe *Musa*,
Et neutrum in plurali; *itā* cum *quiā*, contrahe et *ejā*.

A finita longa sunt, ut *memorā, contrā, ultrā, antē, frustrā, trigin-*

tā, quadragintā; quamquam haec numeralia interdum correpta reperiuntur (1).

(Virg. Aen. 1. 11). *Musā, mihi causas memorā, quo numine laeso*.

(Id. Aen. 3. 391). *Trigintā caputum foetus enixā jacebit*.

(Juvenal. Sat. 2. 4). *Ultrā Sauromatas fugere hinc libet et glaciale*.

EXCEPTIONES. 1.^a Nomina primae declinationis in casu nominandi et vocandi brevem litteram *a* retinent. (Cf. n. 211).

(Virg. Aen. 1. 11). *Musā, mihi causas memora, etc.*

2.^a Casus plurales in *a* neutrorum corripunt *a*.

(Ovid. Fast. 6. 771). *Temporā labuntur, tacitisque senescimus annis*.

(Id. Met. 11. 359). *Templā mari subsunt, nec marmore clarā nec auro*.

3.^a Breve est etiam *a* in *itā, quiā, ejā*.

(Virg. Aen. 3. 273). *Haud itā me experti Bitias et Pandarus ingens*.

541. Esto *docē* longum: produc vocabula quintae,
Atque *ferē, fermēque, famē* simul: et (*malē* dempto
Ac *benē*) produces adverbia cuncta secundae.

1.° Verba imperativi modi, numeri singularis, secundae conjugationis, *e* producunt, ut *monē, habē*. (Cf. n. 507).

(Virg. Aen. 7. 41). *Tu vatem, tu, diva, monē: dicam horrida bella*.

N. B. *Cave* saepius, *vide, vale, responde* interdum corripuntur. Multa enim verba, quae nunc ad secundam conjugationem pertinent, olim ad tertiam pertinebant.

2.° Producentur nomina quintae declinationis, ut *diē*. (Cf. n. 216).
(Virg. G. 4. 466). *Te, veniente diē, te, decedente, canebat*.

3.° Producentur etiam *ferē, fermē, famē* (a prisco *fames, ei*).

(Virg. Aen. 6. 421). *Objicit: ille famē rabida tria guttura pandens*.

4.° Longa denique sunt adverbia ab adjectivis primae declinationis profecta (exceptis *malē, benē* et quandoque *superne* et *inferne*), ut *placidē, callidē, minimē*.

(Martial. Ep. 9. 59). *Excipe sollicitos placidē mea dona libellos*.

(Id. Ep. 2. 7). *Nil benē quum facias, facis attamen omnia bellē*.

(Lucr. 5. 596). *Tecta supernē timent, metuunt infernē cavernas*.

(1) Adverbia *a* finita recentiores opinantur ablativos esse primae declinationis, ut *rectā* subaudi *via*, ideoque *a* producunt.

§ II. I, o, u IN FINE [486-488]

542. I produc. Commune *mihī, tibi* junge *sibique*.
Ac *ibi, ubi, cui*: sed *quasi* cum *nisi* corripie semper.

I vocali terminata longa sunt, ut *classī, fierī*.
(Virg. Aen. 6. 1). Sic *fatur lacrimans, classīque immittit habenas*.

EXCEPTIONES. 1.^a Commune est *i* in *mihī, tibi, sibi, ubi, ibi* et *cui*,
quando dissyllabum est.

(Virg. Aen. 6. 1). *Post mihī non simili poena commissa luetis*.

(Id. Ecl. 10. 1). *Extremum hunc, Arethusa, mihī concede laborem*.

(Martial. Ep. 1. 105). *Sed norunt cui serviant leones*. (Phaleucius est).

2.^a Corripie *nisi* et *quasi*.

(Ovid. Pont. 4. 2. 45). *Quid nisi, Pierides, solatia frigida restat?*

543. O datur ambiguis. Verum producta sonabunt
Ergō pro *causa*, ternus sextusque secundae,
Atque *adeō* atque *ideō*, atque adverbia nomine nata.
Sed *citō* corripies, *modō*que et *sciō, nesciō* et *immō*,
Et *duō*. Sit varium *serō* et conjunctio *verō*.

O finita ambigua sunt, *ambō, quandō, optō, vigilandō*.

(Martial. Ep. 4. 90). *Ponderō, potō, canō, ludō, lavō, quenō, quiesco*.

(Juvenal. Sat. 3. 232). *Plurimus hic aeger moritur vigilandō; sed illum*.

EXCEPTIONES. 1.^a Longum est *o* in dativis et ablativis, ut *somnō, tuō*.
(Virg. Aen. 2. 265). *Invadunt urbem somnō vinōque sepullam*.

2.^a *Ergō* pro *causa*, *adeō, ideō*, et adverbia e nominibus orta, longa
sunt, ut *subitō, meritō*, (sunt enim ablativi secundae declinationis, sub-
audito nomine *modo*). *Serō* et *verō* (particula) communia sunt.

(Virg. Aen. 1. 88). *Eripiunt subitō nubes caelumque diemque*.

(Martial. Ep. 5. 68). *Serō dedit poenas, discerpi noxia mater*.

(Valer. Flacc. 5. 321). *Quod petimus; sin verō preces et dicta superbus*.

3.^a Corripiuntur *citō, imō*, et *modō*, ejusque composita *quomodō, post-
modō, dummodō, etc*.

(Mart. Ep. 9. 45). *Tam subitō corvus, qui modō cygnus eras?*

(Id. Ep. 5. 66). *Alcidae citō dii, sed tibi serō dabunt*.

(Id. Ep. 6. 94). *Non habet ergo aliud? non habet immō suum*.

4.^a Haec quatuor *sciō, nesciō, duō* et *egō* corripiuntur.

(Virg. Ecl. 3. 103). *Nesciō quis teneros oculos mihi fascinat agnos*.

N. B. 1.^o *Duo* et *ego* producuntur interdum beneficio caesurae: monendi tamen
pueri, ut semper corripiant.

N. B. 2.^o Praeter *ego* et *duo*, praeter *scio* et *nescio*, nullus nominis casus, nulla verbi
vox apud antiquiores poetas, ut Lucretium et Virgilium, nisi producta reperitur.
Idipsum in odis et epistolis servat Horatius. Certe e posterioribus praestantiores poe-
tae, quamvis in ea re minus religiosi fuerint, fuere tamen *o* in fine corripiendo par-
tiores: quod, qui elegantiae student, studeant imitari.

544. U veluti cornu semper producta sonabit.

U finita longa sunt, ut *cornū, manū*. (Cf. n. 215).

(Ovid. Met. 11. 324). *Nec mora, curvavit cornū nervoque sagittam*.

§ III. As, es, is IN FINE [497-503]

545. As, es produces: breviat sed tertia rectum,
Si patrii breve sit crementum: queis *penēs* adde.
Duc etiam *paries, aries, abiesque Ceresque*.

As et es finita longa sunt, ut *pietās, amās, amabās, meās, bovēs, monēs,
legerēs*.

(Virg. Ecl. 1. 9). *Ille meās errare bovēs, ut cernis, et ipsum*.

(Id. Ecl. 1. 40). *Ipsi te fontēs, ipsa haec arbusta vocabant*.

EXCEPTIONES. Corripie *penēs*, et nomina tertiae declinationis, quae cre-
scent in oblicuis penultima brevi, ut *lampās, ādis; divēs, itis; pedēs, itis*.

(Virg. Aen. 2. 22). *Insula divēs opum, Priami dum regna manebant*.

(Id. Aen. 6. 881). *Obvius armatum seu quum pedēs iret in hostem*.

(Hor. A. P. 72). *Quem penēs arbitrium est et jus et norma loquendi*.

N. B. *Arīēs, pariēs, abīēs* necessitate metrica *ēs* producunt; producit etiam *Cerēs*.

546. Protrahit *is audis*, plurales adjice casus,
Hisque *velis, nolis, Samnis Samnitis* adhaerent.

1.^o *Is* producit secunda persona singularis numeri praesentis indicativi
quartae conjugationis, ut *audīs, nescīs, sentīs*. (Cf. n. 507).

(Martial. Heroid. 1. 33). *Nescīs, heu, nescis dominae fastidia Romae*.

2.^o Producuntur etiam casus omnes multitudinis, ut *musīs, virīs, no-
bīs, vobīs*.

(Virg. Aen. 1. 91). *Praesentemque virīs intentant omnia mortem*.

3.^o Producuntur tandem *notīs, velīs, Samnīs*, et si quod aliud nomen *is*
finitum crescit *i* longo in genitivo.

N. B. *Is* atque *es* casus multitudinis prisci diphthongo *ei* scribebant, ut *omneis, civeis,
latineis*. (Cf. n. 244. 7.^o).

§ IV. Os, us IN FINE [504-506]

547. Vult os produci: *compōs* breviatur et *impos*.

Os finita longa sunt, (exceptis *compōs* et *impos*), ut *animōs*, *sonorōs*.

N. B. Os in pluralibus casibus contractum est: (cf. *λόγους*).

(Virg. Aen. 1. 62). *Sceptra tenens: mollitque animōs et temperat iras.*
(Ovid. Art. Am. 1. 484). *Insequere, et voti postmodo compōs eris.*

548. Us rectum, patrii si est longa penultima, produc.

Exceptis recto et quinto, duc nomina quartae.

Us producitur in nominibus tertiae, quae crescunt in obliquis penultima longa, ut *salūs*, *tellūs*, *palūs*; et in nominibus quartae, praeter nominativum et vocativum singularis numeri, ut *aditūs*, *vultūs*.

(Ovid. Met. 1. 109). *Mox etiam fruges tellūs inarata ferebat.*
(Martial. Ep. 8. 65). *Hos aditūs Urbem Martis habere decet.*

N. B. Us in nominativis tertiae ponitur pro *us*. In genitivo singulari quartae *us* aequivalet; in tribus casibus pluralis est pro *ues*; *sensu-es* ut *sermon-es*. (Cf. n. 245).

CAPUT VI

DE SYLLABA COMMUNI ATQUE DE NECESSITATE METRICA

§ I. DE SYLLABA COMMUNI [507-511]

549. 1.º Diphthongus et vocalis longa communes fiunt, quum vocalem diversae dictionis praecedunt.

(Virg. Aen. 8. 108). *Credimus? an quī amant, ipsi sibi somnia fingunt?*
(Id. G. 1. 281). *Ter sunt conatī imponere Peliō Ossam.*

2.º Monosyllaba brevia interdum a poëtis more Graecorum producuntur.
(Virg. Aen. 3. 91). *Liminaquē laurusquē dei totusquē moveri.*

3.º Syllaba brevis, post quatuor primos pedes, praesertim secundum et tertium, relicta, nonnumquam a poëtis producitur, quam grammatici *caesuram* vocant.

(Virg. Aen. 4. 64). *Pectoribūs inhians spirantia consulit exta.*

(Id. Aen. 5. 521). *Ostentans artemque patēr, arcumque sonantem.*

4.º Ultima versus syllaba communis effertur, non quod propriam mutet quantitatem, sed quia *postrema syllaba*, ut ait Cicero (Or. 64), *brevis an longa sit, ne in versu quidem refert.*

§ II. DE NECESSITATE METRICA [512, 513]

550. Lex necessitasque metri poëtas interdum cogit syllabas breves per ectasim producere, velut quum sunt tres vel quatuor breves continuae in carmine heroico. Tunc producunt:

1.º Primam, ut *Italia*, *Prīamides*, *Arabia*.
(Virg. Aen. 3. 254). *Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.*

2.º Secundam: sic *nōvitiūs* producit secundam syllabam, cujus *i* brevis est in terminatione *itiūs* nominibus adjuncta, ut *tribūnitiūs*, licet in verbis sit longum, ut *translatiūs*.

Item in verbis desiderativis terminatio *ūrio* habet *u* brevis; at si praecedat brevis syllaba, producitur *ū*, ut *līgūrio*, *scētūrio*, et e converso *pārūrio*, *coenātūrio*.
(Hor. A. P. 139). *Partūrient montes, nascetur ridiculus mus.*

(Id. Sat. 1. 3. 84). *Semesos pisces tepidumque ligūrierit jus.*

N. B. In diminutivis factis ope terminationis *iculus*, *icula*, *iculum*, producitur *i*, ut *antīcula*, *fēbrīcula*, *pēdiculus*, *clībīculum*, quando syllaba praecedens *i* est brevis; alioqui hujusmodi *i* brevis est, quia est euphonicum, ut *folliculus*, *agniculus*, *aedicula*, *auricula*, *conventiculum*. Excipe *crāficula* et *clāvīcula*.

3.º Tertiam in nominibus finitis particula *monia* vel *monium*, ut *sanct-ymōnia*, *test-ymōnium*, *patr-ymōnium*.

4.º Tandem postremam, ut *abiēs*, *ariēs*, *pariēs*.

N. B. Huc pertinet *imbēcillis* vel *imbēcillus* a *bācillus*, ne brevis inter duas longas clauderetur.

551. Eadem metrica necessitate longae syllabae per systolen corripiuntur, ut quum brevis inter duas longas est in carmine heroico, ut *prōfūerunt* pro *prōfūerunt*, *cōntūlerunt* pro *cōntūlerunt*, *sēmīsōpitus* pro *sēmīsōpitus* (a *sōpitus*).

(Prop. El. 2. 3. 25). *Haec tibi contulerunt caelestia munera divi.*
(Tibull. El. 2. 3. 42). *Nec cithara intonsae profueruntce comae.*

Interdum vero poëtae, ut quibus quidlibet audendi semper potestas fuit, abutuntur syllabis, easque corripiunt nulla necessitate coacti.

(Virg. Ecl. 4. 61). *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.*
(Id. Aen. 3. 48). *Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.*
(Tibull. El. 4. 5. 4). *Servitium et dederunt regna superba tibi.*

APPENDIX I

552. Multa sunt verba composita ac derivata ab eodem themate, quorum alia longam, alia brevem habent quantitatem.

A

Ac-	acer is, acerbus, acernus, acesco, acetum, aca, acida, acies, acredula, aculeus, acuo, acus:
Ar-	acer, acridulus, acrimonia, acritas, acriter, acritudo:
Car-	arena, arenaria, arenatus, arenosus:
Frag-	area, areo es, areola, aridus.
Lab-	cāreo: cārus.
Lat-	frāgilis, frāgor oris, frāgosus:
Mac-	frāga orum, refrāgor, suffrāgium, suffrāgo inis, suffrāgor aris.
	lābo, lābefacto; lābor, eris et composita.
	lāteo et composita; lāterna.
	māceo, mācesco, mācer:
	mācero, māceria: māceries.

Man- maneo: māno, as, cum compositis.
Pac- pāc-iscor: pāc-is (a pax), pāco, as.
Par- pārio et pāro cum compositis: pāreo.
Plac- plāceo cum compositis: plāco.
Sag- sāgax: sāga, praesāgus, praesāgio.
Vad- vādum: vādo, invādo, etc. (cf. βάλω).
Var- vāricosus: vārus, vāricus, vārico as, vārix.

E

Cer- cēres, eris: cēritus vel cerritus, a, um.
Jer- dejēro, pejēro: e in u verso: jūro.
Sec- sēco, et composita: sica. Item sēcus ac sēcicus.
Sed- sēdeo, sēdile, as-sid-uus, as-sid-eo, as-sēd-o onis, in-sid-iae, dis-sid-ium, prae-sid-ium, sub-sid-ium, deses de-sid-is, praeses prae-sid-is, obses ob-sid-is: sēdo as, sēd-es is, sēd-ulus, sid-o cum compositis as-sid-o, in-sid-o, etc.

I

Dic- dicax, dīco as, index in-dīcis ac derivata, dīcus in compositis, ut maledīcus, causidīcus: dīco, is (cf. δεικ-νομί) cum compositis, mendīcus.
Fid- fides, cum derivatis fidelis, etc.; perfīdus: fīdo cum compositis ac derivatis, ut confīdo; fiducia, fidus, infīdus, malefīdus.
Fig- fīgulus, fīgura, fīguro, as: fīglina, fīglinum i, fīglinus a um, (a fī-n-go).
Hil- nihilum: hīlum.
It- ambītus us: ambītus a um.
Lib- delībutus: libo, as (cf. λιβω).
Pil- pilus, pilo as: pīlo as, sensu metaphorico.

O

Com- cōma, cōmans, cōmatus: cōmo is, cōmiter.
Glom- glōmus i, glōmero, as: glōmus eris.
Hom- hōmo: hūmanus.
Son- sōno, etc.: persōna, persōnatus.
Sop- sōpor, sōporo as, sōporus, semisōpītus: sōpio cum compositis ac derivatis.
Voc- vōco as cum compositis ac derivatis, univōcus, aequivōcus: vōcis (a vox, cf. ἦχος), derivata ut vōcalis, etc. con-vīc-ium, in-vīto (pro in-vic-to, as).

U

Cu- in oculo: intenditur per a in caul-a; au vertitur in ē in cēlo, as.
Duc- dūcis (a duca), redūcis, tradūcis (a reduca, traduca) dūcatus, edūco, as; dūco is, cum compositis (cf. priscum douco).
Luc- lūcerna, liquet. lūceo et composita (cf. priscum louceo), obliquo, obliquus, liquor, liquidus, liquo as.
Pus- pūsillus: pūsus, pūsa, pūsio, pūsilla vel pūpus, pūpa, pūpillus, pūpilla (cf. pausa, paucus, pauper, paulus).
Put- pūtō, (podar): pūtus vel pūrus, prae-pūt-ium.
Rub- rūbeo, rūbor, etc. praeter rūbigo ac rūbiginosus.
Rud- rūdo ac rūdo indiscrete dicitur.

APPENDIX II

553. Catalogus particularum, quae derivationi inserviunt, in quibus vocalis longa ante consonam reperitur.

A	I
ābilis amābilis.	īdo cupidō.
ābrum flābrum.	īgo, inis caligo, inis.
ābula, um fābula.	ītim virītim.
ābundus populābundus.	īca olīva.
āceus fabāceus.	īcus captīvus.
āculum mirāculum.	O
ācundus irācundus.	ōbilis nōbilis.
āginus oleāginus.	ōmen nōmen.
āgo indāgo, as; inis.	ōmentum mōmentum.
ālis trabālis.	ōna matrōna.
āmen certāmen.	ōnus patrōnus.
āmentum fundāmentum.	ōrus, ōrius amatōrius.
ānus romānus.	ōsus otīōsus.
āre alveāre.	Ū
āris, e militāris.	ūbilis nūbilis.
ārium armārium.	ūca lactūca.
ārius sagittārius.	ūco mandūco.
āticus aquāticus.	ūdo testūdo.
ātillis versātillis.	ūgo lanūgo.
ātīm turmātīm.	ūlis curūlis.
E	ūmen nūmen.
ēbilis flēbilis.	ūmentum jūmentum (1).
ēdo dulcēdo.	ūna fortūna.
ēla, ēlia tutēla.	ūnus tribūnus.
ēlis crudēlis.	ūra natūra.
ēmen sēmen.	
ēmentum crēmentum.	
ēmus suprēmus.	
ēna habēna.	
ēnum venēnum.	

554. Ex his quae littera i incipiunt, pleraque modo breve modo longum i habent. **ibilis, ibulum, ibundus, icundus** vulgo i breve retinent; producent vero ea, quae a quarta conjugatione derivantur, ut **audibilis, sitiundus** (a sitio). **ica** longum in *amīca, formīca, lectica, mīca, rubrica, urtica, vesica*, breve in *fabrica, manīca, pedīca, pertīca, scutīca, tunīca*. **icus** longum in *amīcus, apricus, anticus* (ut *antiquus*), *lumbīcus, mendīcus, posticus, umbilīcus*; in aliis breve ut *hostīcus, tetrīcus*. **igo** (as, are) longum in *caligo, castigo, fatigo, fustigo, instigo, vestigo*; alias breve, ut *navigo, remigo, etc.* **ile** longum in substantivis, ut *cubīle, ancīle*; breve in adjectivis substantive sumptis, ut *reptīle, volatīle* (subaudi animal).
 (1) Excipe *doc-ū-mentum, mon-ū-mentum, noc-ū-mentum, teg-ū-mentum*, in quibus ū loco ̄ positum est.

illis longum in derivatis a nomine, ut *hostilis, civilis*; breve in derivatis a verbo, ut *suffilis, utilis, missilis*.

imen, imentum longum in derivatis a quarta conjugatione, ut *munimen, pavimentum*; breve in derivatis a tertia, ut *tegimen, monumentum*.

ina vulgo longum, ut *ruina, pruina, officina*; breve in *asina, domina, lamina, machina* (*μηχανή*), *pagina, patina, sarcina, trutina*.

inus longum generatim, ut *divinus, caprinus*; breve.

1.º quando significat materiam ex qua, ut *cupressinus, chrysellinus, hyacinthinus, cērīnus* pro *ceri-us* vel *cereus*, (cf. *κίρινος*).

2.º in *crastinus, diutinus, pristinus, serotinus*.

3.º in his: *acinus* et *acinum*, *asinus, coccinum, domīnus* (pro *domnus*), *facinus, pampinus, terminus* (a *termen, inis*).

itius vel **icius**, longum in derivatis a verbis, ut *translatitius*; alias breve, ut *tribunitius, propitius*.

itus longum in adjectivis, quae videntur esse participia obsoletorum verborum quartae conjugationis, ut *auritus, maritus, turrītus*; breve autem, 1.º in adverbis ut *funditus, penitus, radicītus*; 2.º in nominibus tertiae, ut *servītus*: in his duobus casibus i euphonicum est (cf. *sub-tus, vir-tus*).

CAPUT VII

DE VOCIBUS GRAECOLATINIS

555. Graecae voces, quae in romana lingua reperiuntur, duplicis sunt generis: aliae enim posterioribus temporibus ex lingua graeca a latinis scriptoribus sunt desumptae, eodem pene modo, quo nostris temporibus a sapientibus desumuntur ad novas res significandas, ut *telegramma*.

Aliae vero reperiuntur in lingua latina, non quod ea a graecis romani fuerint mutati, sed quia tum graeci tum latini ab antiquiore lingua acceperunt.

Prioris generis voces *graecolatinae* nuncupantur, continentque omnes illas dictiones, in quibus sequentes litterae reperiuntur: *z*, ut *zēlus* (*ζήλος*); *y* ut *hýdrus* (*ὑδρος*), *gýrus* (*γύρος*), *asýlum* (*ἄσυλον*), *papyrus* (*πάπυρος*); *rh* ut *rhetor* (*ῥήτωρ*), *ch* ut *tíchēn* (*τεγχήν*), *ph* ut *pharetra* (*φαρέτρα*), *th* ut *thōra* (*θώραξ*), et multas earum, quae littera aspirata incipiunt, ut *hēpar* (*ἥπαρ*), *hōra* (*ώρα*), *hērōs* (*ἥρως*), aliasque quamplurimas, quae ullo vix signo dignosci possunt.

Hujusmodi *graecolatinae* dictiones quantitatis leges prosodiae graecae retinent, quae non raro latinae prosodiae opponuntur.

§ I. DE VOCALI AC DIPHTHONGO

556. Graecolatinae dictiones saepe vocalem ante vocalem producunt, sive vocalis simplex sit, ut *aēr*, sive diphthongo graecae respondeat, ut *elegīa, Darīus, paradīsus, crocodīlus*, in quibus *i* respondet *ei* diphthongo.

Chorēa et *platēa* nonnumquam a poetis corripiuntur.

Non raro, soluta diphthongo, *ε* in *ē*, necessitate metrica, mutatur, ut *elegēia, Cytherēia*.

(Virg. Aen. 6. 644). Pars pedibus plaudunt chorēas, et carmina dicunt.

(Hor. Ep. 2. 2. 71). Purae sunt platēae, nihil ut meditantibus obstat.

(Ovid. Am. 3. 9. 3). Flebilis indignos, elegēia, solve capillos.

N. B. *Idea, Andreas, sophia, philosophia, symphonia, etymologia*, et alia quamplurima, vocalem ante vocalem corripiunt; licet eadem nomina acuta penultima multi viri docti more Graecorum in soluta oratione pronuntient. (Cf. n. 640. N. B. 4.º).

(Hor. A. P. 374). Ut gratas inter mensas symphonīa discors.

557. *M* et *n* in graecolatina dictionibus liquescunt, quare vocalis brevis ante mutam et *m* aut *n* communis est, ut *cýcnus, Tēcnessa, thērāpne*, vel *cýcnus, Tēcnessa, thērāpnae*.

(Hor. Od. 2. 4. 6). Forma captivae dominum Tēcnessae. (Sapphicus est).

(Id. Od. 4. 3. 20). Donatura cýcni, si libeat, sonum. (Asclepiadeus est).

O in graecis dictionibus claudens priorem compositi partem corripitur, ut *Cymōthoe, Carppōphorus, argōnauta, Leucōpetra*, quando per *omicron* scribitur; producitur autem si scribatur per *omega* ut *geōmetra, minōtaurus, lagōpus*.

558. Corripe a Grajugenum et pro; at longum *prōlogus* esto.

A et pro graecae particulae breves sunt in compositione, ut *átomus, Prōpōntis*; sed *prōlogus* habet o longum.

(Ovid. Pont. 4. 9. 118). Misit in has si quos longa Prōpōntis aquas.

(Ter. Andr. prol. 5). Nam in prōlogis scribundis operam abutitur.

§ II. DE NOMINIS INCREMENTO

A

559. Quae a et as finiuntur, ut *poēma, stemma, Pallas adis*, et quae consonantem habent ante s, ut *arabs*, incrementa habent breviam.

(Hor. A. P. 99). Non satis est pulchra esse poemāta, dulcia suntu.

(Ovid. Fast. 4. 569). Non modo thurilegos Arabas, modo despicit Indos.

Breve etiam habent incrementum, quae sequuntur:

Dropax, atque *anthrax*, *atrac* cum *smilace bacchar*,

His *atacem, panacem, colacem, styracemque coopta*,

Atque *abacem, coracem, phylacem* cum *nectare et hepar*.

(Virg. Cir. 468). Non styrāce idaeo flagrantis tincta capillos.

(Ovid. Met. 4. 283). Non Crocon in parvos versum cum simillāce flores.

(Virg. Ecl. 4. 49). Errantes hederas passim cum bacchāre tellus.

E

560. Genitivi *enis, eris, etis*, praeter *aëris, aethëris*, penultimam habent longam, scribuntur enim per *eta*, ut *sirēnis, cratēris, tapētis, lebētis*; quibus adde hebraica in *el* (graece enim efferuntur per *ηλ*), ut *Michaëlis*.

(Virg. Aen. 1. 724). Cratēras magnos statuunt et vina coronant.

(Ovid. Horoid. 3. 34). Viginti fulvos operoso eae aere lebētas.

(Juven. Sat. 10. 50). Vervecum in patria crassoque sub aëre nasci.

I ET Y

561. Genitivus *inis* vel *ynis* penultimam producit, ut *delphīnis, Salamīnis*: item *Nēsis idis, gryps grýphis*.

(Virg. Ecl. 8. 56). Orpheus in silvis, inter delphīnas Arion.

Quum patrius exit in *gis*, praeter *coccyx coccygis, i* et *y* corripitur: sic etiam corripit in *hystriax, chaenīx, ciliac, Eryx, onīx, sardonīx, calyax*. *Bebryx* est anceps.

(Ovid. Fast. 6. 439). Est illis strigibus nomen, sed nominis hujus.

(Lucan. 2. 593). Armenios ciliacasque feros, Taurosque subegi.

O

562. Ex finitis in *on* multa per *omicron*, multa per *omega* scribuntur.

Scribuntur per *omicron*, ideoque breviant incrementum: 1.º Genitivi in *oris* ut *Nēstor, ðris, Hector, ðris*.

2.º Quae consonantem habent ante s, ut *Aethiops, Cecrops, Dolops*, praeter *cyclops, cercops, hydrops*.

(Virg. Aen. 2. 29). Hic Dolōpum manus, hic saevus tendebat Achilles.

(Ovid. Met. 1. 259). Tela reponuntur manibus fabricata cyclopum.

§ III. DE ULTIMIS SYLLABIS

A IN FINE

563. Producent a in fine vocativi ab as sive primae, ut Aeneā, sive tertiae, quorum genitivus in antis, ut Pallā, (a Pallas, antis), Atlā. (Virg. Aen. 3. 41). Quid miserum, Aeneā, lacerus? jam parce sepulto. (Ovid. Met. 4. 643). Tempus, Atlā, veniet tuo quo spoliabitur auro.

E IN FINE

564. Producitur e in prima declinatione, ut Calliopē, et in tempē ac cetē, nam per eta scribuntur.

I ET Y IN FINE

565. Corripiunt i et y in imparisyllabica declinatione, quae in i vel y exeunt, ut Pallādī, Daphnī, molī. (Virg. Ecl. 9. 50). Insere, Daphnī, pyros, carpent tua poma nepotes.

O IN FINE

566. Longa sunt quamplurima, quae omega finiuntur, ut Androgeō, Athō, Clīo, Alectō, Eratō, Didō, etc.

N IN FINE

567. N littera finita longa sunt, ut Titān, Sirēn, Salamīn, Actaeōn, Aeneān, Anchīsen, Calliopēn, Chalybōn. (Virg. Aen. 11. 940). Et saevum Aeneān agnovit Turnus in armis. (Id. Aen. 3. 710). Amitto Anchīsen: hic me, pater optime, fessum.

Corripiuntur tamen 1.º finita in on, quae ad secundam nostram declinationem spectant, ut Pelīōn, Iliōn. (Ovid. Heroid. 13. 53). Iliōn et Tenedos, Simoisque et Xanthus et Ide.

2.º Omnes accusandi casus, qui a nominibus ultimam brevem habentibus proficiuntur, ut Scorpiōn, Tethīn, Iliīn, Majān, Aeginān. (Ovid. Met. 6. 652). Tantaque nox animi est, Iliīn huc arcessite, dixit. (Lucan. 1. 659). Scorpiōn incendis cauda, chelasque peruris.

R IN FINE

568. Producentur nomina, quorum genitivus est in eris, ut aethēr, crater, aēr, (αἰθήρ, κρατήρ, αἴρ). (Lucan. 5. 499). Inde mane, inde aēr, inde aethēr ignifer ipse.

As et es in fine

569. As finita longa sunt, ut Aeneās, Calchās, Pallās antis. (Virg. Aen. 10. 85). Aeneās ignarus abest, ignarus et absit. Excipiuntur 4.º ea, quae genitivum habent in ādis, ut Arcās ādis, Pallās ādis, Najās ādis. (Ovid. Met. 6. 26). Pallās anum simulat falsosque in tempora canos.

2.º Accusativi plurales nominum tertiae declinationis, ut Troās, delphinās, heroās. (Virg. Ecl. 4. 46). Permixtos heroās et ipse videbitur illis.

570. Es finita longa sunt, praeter casus plurales tertiae, ut daemōnēs, rhetorēs, amāzonēs, Arcadēs, Troēs. (Virg. Aen. 6. 713). Tum pater Anchīsēs: animae quibus altera fato. (Id. Ecl. 7. 4). Ambo florentes aetatibus, Arcadēs ambo. (Id. Aen. 4. 172). Egressi optata potiuntur Troēs arena.

Is, ys, os, us in fine

571. Is et ys finita corripiuntur, praeter nominativos, quorum genitivi sunt in inis, entis aut itis, penultima producta, ut Salamīs, Simoīs. (Virg. Ecl. 4. 34). Alter erit tum Tiphys et altera, quae vehat Argo. (Ovid. Heroid. 1. 33). Hac ibat Simoīs, hic est Sigeia tellus.

572. Longa quae omega scribuntur, ut Trōs, Minōs, herōs, Athōs, etc. N. B. Per omicron scribuntur: 1.º neutra, ut chaōs, melōs, argōs; 2.º os finita, quae ad secundam Latinorum declinationem transeunt, ut Tyrōs, Arctōs, Iliōs; 3.º genitivi in os omnes, ut Arcadōs, Palladōs, Tethyōs, Tereōs. (Virg. Aen. 6. 432). Quaesitor Minōs urnam movet; ille silentum. (Id. Aen. 6. 265). Et chaōs et Phlegeton, loca nocte silentia late. (Ovid. Heroid. 1. 48). Iliōs et murus, quod fuit ante solum. (Id. Met. 1. 218). Arcadōs hinc sedes et inhospita tecta tyranni.

573. Producentur nomina in us, quorum genitivus exit in untis, ut Opūs, Amathūs, et quae ex ποῦς, ποδός, componuntur, ut tripūs, Melampūs. Quaeque ex oos contrahuntur, ut Panthūs ex Panthoos. Item genitivi in us a femininis in o ut Manto, Mantūs, Clio Cliūs, etc., quae etiam ex oos contrahuntur. (Virg. Aen. 10. 51). Est Amathūs, et celsa mihi Paphus atque Cytera. (Id. Aen. 10. 499). Fatidicae Mentūs et Tusci filius amnis.

Huc etiam Jesus (Ἰησοῦς) sacrosanctum Domini atque Redemptoris nostri nomen spectat. Us tandem finita non contracta, ab os syllaba profecta, corripiuntur, Pamphagūs, Oribasūs, Polyppūs. (Ovid. Met. 3. 210). Pamphagūs et Dorceus et Oribasūs Arcades omnes.

CAPUT VIII

DE ARTE METRICA

ADMONITIO. Non omnia quae ad hanc artem spectant, ut est apud P. Paria, sunt tradenda tironibus, qui nonnisi in hexametris et pentametris et nonnullis lyricis initio exercendi sunt.

ARTICULUS I. RHYTHMUS EJUSQUE PARTES

574. Quemadmodum ars harmonica sonorum (μέλος), orchestra vero motuum corporis (κίνησις σωματική), sic ars metrica vocum (λέξις) numerum seu, ut graeci dicunt, rhythmum (ῥυθμός) persequitur. Tria illa quibus potest applicari rhythmus vocantur ῥυθμιζόμενα.

575. Rhythmus est ordinata et perpetua eorumdem temporum successio. Haec quidem tempora vel possunt constare diversa duratione, vel eandem habere, sed quibusdam quasi per-